CAPUT X.

De Causticis, Cathæreticis, & Psylotris.

§. 1.

Definitio causticorum.

C*Austica* remedia sive *Pyrotica* ea dicuntur, quæ partes quibus applicantur adurunt; *Cauteria actualia* aliàs quoque vocantur, qualia vel ex *Ferro ignito*, vel ex *Moxâ*, vel ex aliâ urente materiâ parantur.

Quibus affectibus destinentur?

§. 2. Varii autem sunt Affectus, in quibus *Cauteria* talia magni usus existunt, ita in *Ischiadico dolore* pertinaciori Medici Practici usurpant *Ferrum ignitum*, cujus lata admodum superficies ad Ischium, quàm proximè Æger ferre poterit, sæpiùs applicari solet, donec pituita viscida intra tendines musculorum, aut in ipsâ juncturâ profundiùs latitans, efficaci ignis virtute resoluta & discussa sit. Pariter & in *Epilepsiâ*, *Apoplexiâ*, ferrum ignitum bregmati Capitis raso quandoque cum fructu proprius applicatur. Sic & *Verrucæ*, aliæque *Cutis Callositates* stylo ferreo, aliove ardente, aut etiam *Moxâ*, sulphureque inusto absumuntur. *Caries ossium* subinde omnium optimè ferri candentis ope exuritur & separatur. Quod si membrum aliquod sit rescissum, aut *Cancer* sive Mammarum, sive alius partis cultro ablatus; vel etiam quando ex inopinato quodam casu Arteria aliqua vulnerata ruptaque fuerit, tum ad sistendas hinc natas Hæmorrhagias tutò sæpiùs candente ferro illa aduritur. Quantum verò laudis meruerit *Moxa* illa, in *Arthritide* articulis dolentibus, in *Odontalgiâ* cavis & cariosis dentibus, in *Cephalalgiâ* loco dolenti inusta, apud Auctores legere est. Neque adeo infrequenter, cum felici successu in Dolore Dentis

cariosi, hic stylis argenteis aut, ferreis ignitis exuritur, aut etiam Auris lobus ardente ferro inuritur, ut inde defluxiones ad dentes præcaveantur.

Cathæretica. §. 3. *Cathæretica* sive *Corrosiva* remedia sunt ea, quæ acrium plus minus acutarum particularum ope, partes corporis quascunque corrodunt, exedunt, & vitali spiritu privant. Plura autem in censum horum remediorum hactenus venerunt, quæ sub nominum suorum diversitate, non nisi vario operationis gradu inter se differre observata fuerunt, quatenus particulas nunc plus nunc minus acutas, aut scindentes impetraverunt. Nonnulli quoque *Cauteria potentialia* generali nomine comprehenderunt vel appellarunt, Verùm inter ea primùm occurrunt *Exedentia*, quæ omnium mitissima sunt, atque *salium* suorum, vel *simplicium*, vel *sulphureorum* non adeo acrium, ac plus minus terrestrium ope, quicquid in Ulceribus tam mollium, quàm durarum partium corrosivi & putrefacientis humoris hæret, detergendo absumunt, sicque Naturam in curatione juvant. Atque hæc à Peritioribus Chirurgis non sine ratione destinantur *Fistulis*, *Ulceribus sinuosis*, *Carni Vulnerum aut Ulcerum luxurianti*, sive *Hypersarcosi*, *Excrescentiis* itidem aliis, veluti *Polypo*, *Fungis*, è vulneribus Cranii subinde emergentibus, *Clavis pedum*, *Verrucis*, & id genus.

Materia eorum. §. 4. Materia horum *Exedentium* alcalinæ ut plurimum naturæ existit, & quandoque etiam de sale volatili oleoso participat, v. gr. *Radices Aristolochiæ rot. Imperatoriæ*, *Calami aromatici*, hincque *destillata Olea*, *Plumbum ustum ac lotum*, *Os sepiæ*, *Cerussa*, *Conchæ calcinatæ*, *Sabina*, *Pulvis Cinerum Tabaci*, vel *Cinerum Bufonum*, *Aes ustum*, *Alumen ustum*, *Oleum dest. C. C. Oleum Tartari fœtidum.* Quò etiam referri possunt *Vitriolum album*, ac *Mercurius*

curius præcipitatus albus, ruberve, sed minori dosi applicata; imò *Magisterium Saturni*, *Tutia*, *Lapis calaminaris*, *Mercurius dulcis*, *Lac Virginis*, *Liquor Lithargyrii*, *Oleum Tartari per deliquium*, *Aqua calcis vivæ*, sive *simplex*, sive *phagædenica nostra* inter mitiora Cathæretica censenda veniunt, variis in *Affectibus cutaneis*, etiam non ulcerosis, apprimè utilia, ex quibus subinde etiam *Cosmetica* remedia satis efficacia concinnantur.

§. 5. *Escharotica* sive *Incrustantia* remedia propriè dicta, vel quomodocunque illa appellare velimus, sunt remedia caustica, particulis, sive alcalinis, sive acidis, summè acribus, pungentibus aut scindentibus prædita, quæ extus applicata cutim carnemque substratam erodunt, exulcerant, atque hinc escharam sive crustam inducunt. *Escharotica.*

§. 6. Duplicis generis medicamenta hæc sunt, alia quidem acida, quæ sale corrosivo acido turgent, prout existunt *Butyrum Antimonii*, *Mercurius præcip.* *Aqua fortis*, vel alii *Spiritus minerales acidi*, *Lapis* itidem *infernalis*, *Oleum vitrioli*, & id genus: Alia sunt Naturæ *alcalinæ*, prædita sale acri alcalino corrodente, v. gr. *Lapis corrosivus vulgaris*, qui nihil aliud est, quàm Sal fixum è lixivio saponariorum per humoris abstractionem excoctum, *Lapis* itidem *medicamentosus* sive *Crollii*, sive alius, *Sal volatile Bufonum*, vel *Millepedum*, aut aliorum Insectorum, *Alumen ustum*, *Vitriolum. ustum*, *Æs ustum*, ut & *Pyrapyrum*, sive *Cauterium indolens* nostræ descriptionis, verb. grat. *Duplicis generis.*

℞. *Calc. viv. part.* ij. *sive* ℥ij.
Minii ℥j.
Sapon. nigr. q. s.

M. F. pasta, ex quâ formari possunt pilulæ recenter usurpandæ.

Affectus. §. 7. *Corrosivis* ejusmodi uti solemus in variis Affectibus, v. gr. ad consumendas *Verrucas*, *Clavos*, *Callos*, ad exedendam *Carnem luxuriantem*, ad *Fonticulos* formandos, ad rumpendos *Abscessus* & similia. Verum cautelæ quoad partium discrimen, aliæve quàm optimè attendendæ veniunt.

Modus agendi. §. 8. Quoad agendi modum tenendum est hoc, Corrosiva applicata vix ullas exercere vires, nisi simul vitalis partis calor, cui applicatur, eorum particulas commoveat, & in actum deducat, quæ particulæ in motum evectæ, spiculis suis valde acutis fibrillas primùm quidem Cuticulæ, hinc etiam Cutis pungunt, discindunt, tandemque ita dilacerant, ut undique versus principia sua resilientes, ac humoribus accessum denegantes fibrillæ escharam siccam in medio relinquant, quæ hinc subinde aliquot diebus adhuc persistit, donec emollita satis separetur ac decidat.

Psilothra. §. 9. Referunt huc nonnulli *Psilothra*, remedia illa Turcis atque Indis quàm Europæis usitatiora, quæ cutim depilem reddunt. Hæc verò nihil aliud sunt, quàm lenia Corrodentia, pilos ubicunque locorum absumentia. Commune remedium hunc in usum est *Calx viva* cum *Auripigmento* in pulverem mixta, atque hinc Axungiæ cuidam subacta, quibus alii etiam de *Formicarum ovis* adjiciunt. Hisce accensent *Lixivium forte*, vel *Alumen*, *Sandaracham* atque *Lacteum Esulæ succum*, quo cum tamen cautè venit procedendum.

CAPUT XI.

De Aperientibus Medicamentis.

§. 1.

Synonyma. REmediorum *Aperientium* titulus adeo generalis est, ut plurima, sub aliis Remediorum titulis contenta,